



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniae, 1709**

§.4. Beneficum offendit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

*malitia, qua Dei potentiam, sapientiam, justitiam perire desiderat.*

§. 4. *Beneficium offendit.*

Est quidem hoc, quod dixi, immane; id ipsum tamen longè horribilius accidit propter immensam, quâ dilexit nos Deus, charitatem. Quem enim odimus? nonnè optimum parentem? à quo victum, vestitum, auramque vitalem accepimus. Circumspice te; à capite ad calcem donum Dei es, quot in te pili, tot ejus curæ, quot momenta numeras, tot beneficia usurpas. Te matri in utero, te tibi tot annis dedit, datque toties, quoties respiras. Ecce nunc cùm hæc legis, imò cùm peccas, (ô incredibile dictu!) ab ipso pendes protegente, conservante, suis manibus sustinente. Si te ista nutrix vel lantum ungvem defereret, quid te fieret? & tu in ipsa beneficii usura mammam mordes lactantem. Mordes? exulceras, dilanias, dentibus, manibus, pedibus petis, tuis telis, suis donis. Deum Deo impingis, & sibi ipsum occurrere vel in offensa facis. Quid hîc dicam? hostem te pûtem? filius es. Mulum calcitrantem? homo es. An furiosum? sanus es. Exclamabo: O filium hostem? ô hominem ferum! ô sanum insanum! cujus fides

fides

DE TIMORE DOMINI. 19

fides infidelitate, ratio amentia plena est.  
 Quid plura? in homine Christiano nec  
 Christum invenio, nec hominem.

§. 5. *Misericordiam contemnit.*

Quæstus sum ab usum doni, hoc est, tui.  
 Pejus est, quod sequitur; abusus donantis,  
 hoc est, Dei. Indulgentia patris facit, ut  
 genio indulgeas? Si opprimeret, si fulmine  
 dejiceret, si ad orcum, ut potest, [quis enim  
 vetat?] demitteret; auderes? quia prius est,  
 tu impius? quia parcit, sævis? quia non oc-  
 cidit, insanus? ignoscentem calcas, quem pu-  
 nientem vererere? nimirum hæc illa est in-  
 gens scelestaque vis contra Spiritum sanctum,  
 cui se negat Deus [Matth. 12.] posse placari  
 vel in hoc, vel in altero mundo. Læsa quippe  
 patientia, læsus amor fit furor, ut factus est  
 ex ove lupus; sic ille fit ex agnoleo, ex pastore  
 iudex. ô formidandã tibi personæ novitatẽ.

§. 6. *Vim & meritã patientis exhaurit.*

Quidquid attingi, summum videtur;  
 cum semper aliquid gravius instet. Ad san-  
 guinem venio clamantem, non Abelis, sed  
 Dei, sed Agni. O qualem hinc quantamque  
 nequitiam! Occisus est. Cui? tibi. Impen-  
 sus, superimpensus. Quam tu gratiam refers  
 tot sudoribus, tot spinis, tot flagellis? Dicam,

te